

Q.K. 405,32

X 186 2995

II h
298

D. F. S.

De

CULTU HEROINA-
RUM SAGO VEL TOGA
ILLUSTRIUM

ex

INDULTU SENATUS PHILOSOPHICI

in

ACADEMIA LIPSIENSI

PRÆSIDE

M. GOTTLOB FRID. JENICHEN,
Lipsiensi,

disputabit

AUCTOR

VALENTINUS Gottfried Herckliß/ Lipsiensis,
Phil. Baccal. & SS. Th. Stud.

D. XXVI. Jun. A. M. DCC.

LIPSIÆ,

Læteris Joh. Andreae Zschauens.



60
HEROINÆ

ILLUSTRI ET GENEROSISSIMÆ

DN. CHRISTINÆ
REGINÆ LAURENTIÆ
AB ADLERSHELM,

OB

ERUDITIONEM MIRANDÆ,
PIETATEM VERENDÆ


ET CÆTERAS VIRTUTES HEROICAS COLENDÆ,
AC INCOMPARABILI SEXUS SUI ORNAMENTO
SUSCEPTRICI SUÆ INDULGENTISSIMÆ

PRÆSENTEM DISSERTATIONEM
TANQUAM

ARAM GRATITUDINIS ET CULTUS
PUBLICAM CONSECRAT

AUTOR

VALENTINUS Gottfried Hercklitz/
LIPSIENSIS.



A. Ω.

DE

CULTU HEROINARUM SAGO VEL TOGA ILLU- STRIUM.

Conspectus Dissertationis.

Magna omni ætate Heroum fuit veneratio §. I. Unde justus etiam Heroinarum, si quæ dantur, cultus existimandus est §. II. Dantur autem non solum Sagatæ §. III. Verum etiam Togatæ Heroinæ §. IV. Quare sicut toties honos Heroinarum contra earundem Detrectatores vindicatus fuit: §. V. ita demonstratur iste cultus, cui jam dudum antiquitas fuit dedita, ex ἀποθεώσεως imprimis molimine, quæ suscepta fuit a) per solenniores Consecrationes §. VI. & VII. β) per Dearum nuncupationes §. VIII. γ) per ararum & templorum adificationes §. IX. δ) per festorum celebrationes §. X. cum qua veterum ἀποθεώσι Pontificiorum Canonizationem convenire memoratur §. XI. Uti vero memoratus Heroinarum apud veteres cultus nimis erat atq; illicitus: Ita, qui sequuntur Heroinarum honores necessarij magis atq; liciti existimandi sunt: Nimirum numismata §. XII. XIII Statuæ §. XIV. Sepulcra & Monumenta §. XV. Epitaphia, Epigrammata §. XVI. Gradus Academici §. XVII. Ordines Equestres §. XVIII. Admissiones in consortia Virorum doctorum publica. XIX.

§. I.

Virtus illustra omni ætate Cultoribus suis monumenta condidit & ipsius memoria ære fuit perennior. Mortales sunt homines: non paucos tamen virtutis honor immortales reddidit. Sunt isti Heroes, qui vel sago vel toga illustres non intermorituram unquam pararunt si-

A

bi

bi memoriam. Transeant jam victrices istæ coronæ, triumphales cur-
 rus, statuæ Martiales aliaque tropæa, quibus tot tantisque triumphis
 insignium Heroum nomina apud Romanos aliasque olim gentes æterni-
 tati dicata sunt. Sola ἀποθέωσις, luculentum satis nobis argumentum
 esse poterit, quantus Heroum Sagatorum honos fuerit apud veteres.
 Ecquis enim ignorat, Mauros Jubam, Syros Seleucum, Arabes Dysaren,
 Macedones Philippum & Alexandrum, Romanos Romulum, alios-
 que alios tanquam Deos coluisse? Quis ignorat Cecropi, Theseo,
 Menestheo & Codro Athenienses; Hyacintho, Agamemnoni & Mene-
 lao Spartanos; Epaminondæ Arcades; Neoptolemo Delphos; Miltia-
 di Cherfonitas; Achilli Leucenses a) Tempia & Aras exstruxisse? Et
 quis demum ignorat, tot Equestres in Hispania, Gallia, Britannia, Dania,
 Svecia, Malta aliisque Regnis Ordines illustria & æterna Heroum Saga-
 torum nostri temporis esse testimonia? Ast neque Togatis Heroibus
 sua monumenta deesse existimes. Etenim Homero Ptolemæus Phi-
 lopathor templum exstruxit, Pythagoram Metapontini, facto ex ejus
 domo templo, adorarunt, Aristoteli Stagiritæ diem festum instituerunt,
 Æsculapio Pergameni statuam divinam sacrarunt, & Zamolxin, Geti-
 cum suum Legislatorem, Thraces instar Numinis coluerunt. b) Imo si-
 cut imagines in nummis, quorum beneficio omnis memoriæ Heroas &
 Orbis Dominos superstites adhuc videmus, singularis omni ævo c) ho-
 nos extitit: Ita post alios Eurypyli, Pythagoræ, &c. nummos, Vir in
 re nummaria nulli secundus, *Spanhemius* d) Homeri in primis, parentis
 illius ingeniorum, effigiem in rarissimo Smyrnæorum nummo ex Th.
 Chiffletii cimeliarchio exhibet, cujus in altera parte ipsa Homeri effi-
 gies cum inscr. ΟΜΗΡΟΣ, in altera vero laurea sistitur, inserta voce:
 CMHPNAIΩN. Ast longius hæc persequi instituti ratione prohibemur.

§. II. Quod si vero tantus, ceu fas est, Heroibus habitus fuit &
 adhuc habetur honos: sensu forsân, ni fallimur, abundaret, qui eun-
 dem

- a) *Just. Bosius in Corn. Nep. Liv. passim. Ill. Dn. a Lobenstein Armin. T. I. Lib. IV. p. 342. seqq.* b) *Justin. Lib. XX. v. 17. Svet. Claud. Cap. XXV. Lactant. L. IX. Ill. Dn. a Lobenst. l. c. p. 343.* c) *Ezechieel Spanhemius de præst. & usu Numismat. Ed. Amsteld. 1671. Diss. I. p. 35.* d) *loco laudato Diss. V. p. 487.*

dem Heroinis derogandum assereret, quarum virtutum fama non est inferior. Ut enim a Sagatis, prout appellant, Heroinis ordiamur, Amazonum, quarum gloria antiquitas superbit, exemplum fati edocet: non viros modo, sed & feminas capaces esse virtutis Heroicæ. Non enim tam imperfectæ naturæ feminæ sunt, quasi cor, virtutum parentem, non in eodem, quo viri, pectoris medio, sed in digitorum apicibus, divina lege, positum haberent; quia tanta forsan eorum agilitate acus in lintea, velut in infelices hostium acies, stringere sciunt. Neque promissam menti barbam vel rugosam Catonis frontem imperialem sapientia thronum, aut in brachiorum & cæterorum artuum robore fortitudinem sitam esse ullus, nisi cui helleboro opus est, existimabit. Unde non ineleganter *Ill. Dn. a Lohenstein.*) Das Herze selbst/der Sitz der Tapfferkeit/ ist bey nahe das weicheste Glied am Menschen/ dessen Fleisch keine Spann-Adern und Knochen/ weder Klauen noch Zähne hat. Diesem nach kan sich ein Helden-Geist eben so wohl mit einem zarten Leibe vertragen/ als ein schneidenthes Schwert/ mit einer sammtenen Scheide; Ein Sieger mag seine Hände wohl in rüchende Handschuh stecken/ und ein Überwinder der Welt unter einem Goldgestückten Zelte seyn. Novimus equidem, multis, quæ de Amazonum rebus memoriæ prodita sunt, mendacii suspecta videri & pro fabulosis haberi cœpisse. Sic *Strabo* b) maxime multa *περὶ τῶν ἡγερμένων καὶ πύστων πῶρρω*, i. e. portentosa & fide indigna in earum historia se notasse gloriatur. Amazonas tamen & existere potuisse, & revera etiam extitisse ex *Isocrate Platone, Goropio Becano, Palæphato, Herodoto, Diodoro Siculo, Plutarcho, Trogo Pompejo, & ejus compilatore Justino* aliisque *Petrus Petitus, Philosophus & Medicus Parisiensis* in *Dissertatione sua* c) de Amazonibus abunde demonstravit. Tres autem in primis Amazonum expeditiones celebres esse memorat: duas in Troada regnante Priamo; & tertiam in Atticam tempore Thesei. Prioris, quâ Regi illi bellum intulerunt, *Homerus* d) alterius

A 2

expe-

- a) *T. I. L. III. p. 204. conf. p. 294. b) Lib. XI. c) Parisiis primum per Andr. Cramoisy 1685. postea Amsteld. per Jo. Wolters 1687. d) Iliad. γ.*

peditionis *Virgilius* a) *Justinus* b) & *Quintus Smyrnaeus*, c) meminit. Ma-
 xime vero Græcorum literis celebrata illa in Atticam ab iis suscepta, oc-
 casione Antiopes à Theseo abductæ, quæ quantæ molis fuerit *Plutar-
 chus* in Theseo testatur d). Nec obscurum profecto Amazonicæ virtutis
 testimonium lex est, qua ex Zarinæ, Amazonum Reginae, arbitrio fan-
 citum erat: ut nulla prius Amazonum cum viro confvesceret, quam
 trium manu sua cæsorum hostium capita ostentaverat. Haufit forte,
 ut opinamur, Vir dubium an ingenio an eruditione major, *Illustr. Dn.
 à Lobenstein* e) legem istam ex *Hippocratis* Libro f) ubi: τὰ τέων, inquit,
 αἰ γυναικες ἰππάζουσαι τε καὶ τοξέουσαι, καὶ ἀκοντίζουσιν ἀπὸ τῶν ἰπ-
 πῶν, καὶ μάχουσαι τοῖς πολεμίοις, ἕως ἂν παρεθένοι ἑῶσιν. ὅσα δὲ παρ-
 θεένουσαι δὲ, μέγχις ἂν τῶν πολεμίων τρεῖς ἀποκλείωσι, καὶ ἔπειτε-
 ρον ξυνοικέουσιν ἢ πρὶν τὰ ἰππάζουσαι τε ἐν τῷ νόμῳ. ἢ δ' ἂν ἄνδρα ἕως
 τῆ ἀρετῆς πείυεται ἰππάζομένη, ἕως ἂν μὴ ἀνάγκη καταλάβῃ παυ-
 κέως στραθείης. τὸν δεξιὸν δὲ μαζὸν ἔκ ἔχουσι &c. i. e. Horum (Sauro-
 matarum, qui Amazonum Imperio suberant) feminae equitant quidem,
 arcu sagittas excutiunt, jacula ab equis torquent, cumq; hostibus, dum vir-
 gines sunt, certamen ineunt. Non devirginantur autem prius, quam ex
 hostibus tres confecerint; neq; aliter viris junguntur, quam sacra more pa-
 trio fecerint. Quæ autem virum sibi sociavit, equitationis & militiae va-
 cationem habet, quamdiu quidem communis expeditionis necessitas non
 cogit. Carent autem dextra mamma &c.

§. III. Neque alia Heroinarum Sagatarum, quas vel arma vel
 sceptrum illustres reddidere, exempla in veterum atque recentiorum
 Auctorum scriptis deesse vidimus. Sic feminas Germanorum antiqui-
 tus aciebus & pugnis adsuetas, in easque viros patrio more comitatas
 fuisse *Tacitus* g) Auctor est. Et licet *Freinsbemi* h) de Romanorum
 feminis se nullibi legisse asserat, inter viros eas prælio se miscuisse: Vel
 sola tamen Sabinarum, Veturiæ, Volumniæ, Virginiae, & Clœliæ apud
Livium i) exempla luculenta Heroicæ Romanarum virtutis nobis te-
 stimonia esse poterunt. Non absimilis Amazonum priscarum Reipu-
 blicæ

a) L. I. *Æneid.* b) L. II. c) L. III. d) vid. P. Petit. l. c. p. 192. seqq. e)
Armin. T. I. L. V. p. 525. f) L. de aer. Text. 42. n. 23. g) *Germ.* C.
 VII. h) in Not. ad Flor. L. III. III. 16. i) L. I. 13. L. II. 40. L. X. 23.

blicæ forma est, quam in regionibus Boëmicis aliquando visam narrat *Aeneas Sylvius* a) sub Valasca, quæ totis septem annis cum feminis suis Boëmiæ regnum iisdem fere, quibus olim Amazones, legibus tenuisse fertur. Eodem spectant, quæ magnam imprimis Historiæ Amazonicæ fidem adferunt, in Christophori Columbi Nauticorum Commentario indigenarum testimonio de Martinica Insula relata, affirmantium, hanc à solis hodiernum feminis, Amazonum ritu viventibus, habitari: Unde ab ipsis fluvium non exiguæ magnitudinis in America *Rio de las Amazonas* appellatum esse *Fer. Cortesius* b) & *P. Jo. Dos Sanctos de familia sancti Dominici* c) existimant. Nec prætereundum hoc loco erit antiquissimum, & *Athanasii Kircheri*, d) quam ex Arabis, Ben Lehiajæ, ore accepit, relationi credimus, Regina Dalukæ, filia Zabû, exemplum, quæ post Pharaonis Israelitarum persecutoris cladem in mari rubro, (cum quo & quotquot erant in Ægypto virorum illustrium, Principum & magnatum periisse dicuntur) ob defectum virorum, qui regno præessent, (sola enim mancipia & liberti supererant) Regina electa erat, tanquam prudentia & rerum notitia maxime conspicua, loco & familia illustris, & tunc annos nata centum & sexaginta. Hæc enim regno præfecta post innumera alia munimenta murum, quo tota Ægypti terra circumdaretur, ædificasse, irruentemque hostem fortiter regni sui terminis arcere ausa memoratur. Cujus rei veritatem corroborare videtur *Grotius*, e) qui ex Taciti aliorumque narratione Ægyptos olim & Britannos sexum in Imperio non discrevisse tradit. Quare sicut Semiramis Assyriis, Ægyptiis Cleopatra, Artemisia Halicarnasæis, Palmyrenis Arabia populis Zenobia, Tomyris Scythis imperasse constat; quo pacto etiam inter Scytharum gentes Sauromatæ γυναικονεργιστριαι, i. e. quibus mulieres imperant, a *Plinio* f) appellantur: Ita non solum S. literæ Arabiæ Reginam g) Reginam Candaces h) & cui populi sui Israelitici Imperium ipse Deus tradiderat, Deboram i) memorant; sed post Marullam, Valascam, Libussam & alias Boemiæ Duces k) etiam Anglia

A 3

Eli-

a) *Hist. Boem. C. VII.* b) *Fast. de Indis Medit.* c) *in Descript. nova Æthiop. Orient.* d) *Syntag. I. de Reg. Ægypt.* e) *de J. B. & P. L. II. C. VII. n. 12.* f) *L. VI. c. 7.* g) *I. Reg. X. & XI.* h) *Act. VIII. v. 27.* i) *Jud. IV, 5.* k) *An. Sylv. Hist. Boem. passim.*

Elisabethæ, Ungaria Mariæ, Suecia Margarethæ & Christinae suæ non infaustum hodiernum celebrat Imperium.

§. IV. Non minor gloria, quæ Heroum Togatorum exemplo Togatæ ut appellentur, jure velut quodam suo sibi postulant, Heroinas manet. *Non enim universale est, Antonius de Guevara a) inquit, ingenio masculos omnes sagaci, omnesq; femellas incerti esse. Quin si ex æquo utriq; erudirentur, futurum crediderim, ut tot haberemus feminas eruditas, quot habemus viros rudes. Et Macrobius b) Literarum amor, multaq; eruditio mitis humanitas, minimeq; sevens animus ingentem femine gratiam conciliat.* Equidem Balsacius c) Nobile alias apud Gallos nomen, sed dignus profecto, cui Xautippe obtigisset, Italorum forsan: *Allor la donna de parlare, quando la gallina va à pisciare. i. e. Mulier non loquatur, donec gallina minxerit; proverbio adductus dixit: Malle se habere uxorem barba onustam, quam talem, quæ sit erudita.* Cui suggestioni jungendum est barbarum Poetæ istius Arabici, Pharezdaki, de pereleganti Arabicæ cujusdam femine carmine, judicium ex Pocokio à Morhofio d) relatum: *Wenn die Henne wie der Hahn singet / muß man ihr den Hals abschneiden.* In quorum censum referendus etiam esset Molierius, qui feminas doctas contemptui habere nonnullis visus hoc poemate: *Ab! les femmes Docteurs ne sont pas de mon gout. Je consens, qu' une femme ait de clartez de tout; Mais je ne luy veux point la passion choquante De se rendre savante afin d' estre savante. Et j' ayme que souvent aux questions qu' on fait, Elle sçache ignorer les choses qu' elle sçait.* Nisi contrariam ejus mentem nos edocuisset Cl. Junckerus e) ipsum de iis potius feminis, quæ amori indulgent nimium, quam iis, quæ mentem scientia instruunt loqui ex verborum nexu demonstrans.

§. V. Sed rectius omnino contra tales à sacrario Minervæ feminas promiscuè arcetes Gregorius Nazianzenus f) sentit: *Eandem esse rationem vimq; animorum in viris & in feminis, sexumq; non animæ*
sed

a) L. II. Horol. Princ. c. XXXII. n. 359. b) L. II. 5. c) apud Vockerodt Introd. in Soc. Lit. Sect. II. c. 11. §. I. d) Im Unterricht von der teutschen Poeterey cap. IX. p. 444. e) Centuria feminarum Erudit. p. 3. f) Oratione II. de Gorgonia, sororis, laudibus.

sed corporis modo esse differentiam. Nam: ὡ γυναικεία φύσις, inquit, τὴν ἀνδρείαν νικήσασα διὰ τὸν κοινὸν ἀγῶνα τῆς σωτηρίας, καὶ σώμα-
 70 διαφορὰν, ἢ ψυχῆς τὸ θῆλυ καὶ τὸ ἄρρεν ἐλένξασα. Et Sene-
 ca: a) *Nulli certe præclusa virtus est, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, nec censum eligit, nec sexum.* Qua de causa Alexander Barfinam maluit, pauperem quidem & forma non eximiam, sed literis Græcis Latinisque insigniter eruditam uxorem ducere, quam Darii filiam pulcher-
 rimam, divitem & generosam; cum non sapiens esset & erudita. Illa enim tempestate, *Guevara* b) ait, sapientia & doctrina non divitiarum inducenda conjugum spectabantur; & ut quæque erat doctissima, ita splendidissimas fortiebatur nuptias. Lydi, qui eodem feminas literis eruditas, quo viros bello strenuos, honore dignabantur, Reginam suam Myrtin, quod & in conjugio prudens & in viduitate castissima, & Philosophiæ doctissima fuerat, inter VII. Reges, quos habuerunt gloriosissimos, connumerabant. c) Pythagoras, qui & sororem Themistocleam & filiam Polycratam nactus doctissimam, ingenue se sororis suæ discipulum ab eaque omnem, quod miramur, Philosophiam suam addidisse profiteri non erubuit. Legi meretur apud *Guevaram* d) memoratu digna ejus ad Sororem Themistocleam in Samothracia tum degentem ex Rhodo epistola, & oratio ad filiam suam Polycratam Metaponti, cum morti esset proximus, habita. Joanna Philippi pulchri R. Galliarum conjux, ut Auctor nobis est *Jo. de Bussieres* e) *Soc. Jes.* e) literarum amore, quarum peritiam haud vulgarem hauserat, Navarræ Collegium Parisiis condidit atque ornavit: Princeps in consiliis dixit sententiam: assueta etiam arma induere & dum consors in castris ageret copias ducere. Sed longius tot præclara Heroinarum exempla enarrare nolumus, cum præter *Boccatium* f) *Serdonatum* g) *Rimerum* h) *Pierre de Moynes* i) *La Barre* k) *Bosquetium* l) *Costum* m) *Menagius* n) *B. Tho-*
 ma-

- a) *de Benef. L. III. e. 18.* b) *L. II. Horol. Princ. C. XXXV. n. 368.*
 c) *Ex Strab. Gueu. l. c.* d) *L. II. Hor. Princ. C. XXXIV. & XXXV.*
 e) *Histor. Franc. T. II. L. IX. p. 231.* f) *de claris Mulieribus* g) *de Feminis Illustribus Italicis.* h) *de Duellis Mulierum.* i) *la Galerie des femmes fortes Ao. 1663. Paris.* k) *qui Geneva Tractatum Mariæ Jarsie de Gournay de l'egalite des deux sexes edidit.* l) *Lib.*

masius o) Cl. Junckerus p) de Scudery q) aliique in tantis earum catalogis otium nobis jam pridem fecerint. Nec opus esse arbitramur sua Heroinis in literas & arma jura altius vindicare, cum eadem dudum *Virginem Mediolanensem Oratione* r) sat eleganti pro libertate literarum ad Matronas Virginesque suæ urbis habita; & non Incelebrem D. Esbergium S. Theol. Doct. & Græc. Lit. Prof. in Academia Upsaliensi præterlapso modo anno Dissertatione quadam s) fatis propugnasse intellexerimus.

§. VI. Specialior potius Cultus Heroinarum, quo tantæ, qua excelluerunt, virtutis famam ad posteros transferri voluerunt, earum cultores, nunc instituenda est consideratio. Etenim cum utrique sequiori æque ac masculo sexui idem in virtutes jus competat: merito etiam utrique sexui idem ex virtutibus, quas colunt, honos resultare statuitur. *Habet quippe, Ciceronis* t) verba sunt, *venerationem justam quicquid excellit; & sol quidem, Pontano* u) teste, *terram & cælum radiis suis illustrat, honor vero, hominum actiones & facinora præclarissima.* Unde instar phœnicis virtutem post fata etiam esse superstitem innuit *Ovidius; x)*

- - Cum me summus adusserit ignis,
Vivam Parsq; mei magna superstes eris.

Sic etiam *Joannes Audenus* fere cecinit:

*Omnia cum pereant est virtus sola perennis:
Hæc immortales reddere sola potest.*

Comprobant hanc immortalitatem tot præclara antiquitatis monumenta, quorum in evolutione nostrâ nunc industria desudabit. Non

im-

cui Tit. Femmes Heroiques comparees avec les Heros Paris 1669. m)
de Elogiis feminarum Illustrium. n) Histor. Mulier. Philosoph. Lug-
dun. 1690. o) Diss. de Feminarum eruditione p) Centur. Femin. E-
rud. q) Les Femmes illustres ou les harangues Heroiques, a Paris.
r) in Puteani Orationibus Orat. IV. s) cui Tit. Mulieres Philosophantes
leviter adumbrans exercitium Academicum, eiq; præfixa est elegantis-
sima a Matrona eruditissima, Sophia Elisabetha Brennern exarata e-
pistola. t) de Nat. Deor. I. u) I. de Magnan. I. x) L. 1. Amor
Eleg. 15.

immerito autem primo loco nominabimus, quo non major profecto unquam extitit aut existere potuit, solennem istum ἀποθεώσεως cultum, quem illustrioribus genere & meritis Heroinis, Heroum exemplo, senatus auctoritate decernebat antiquitas. Quanquam vero optandum esset, ut memorata ἀποθεώσις cultus semper, ceu ab initio erat, mansisset politicus; Hanc enim ἀποθεώσιν dudum Deus ipse in Imperantes, quia DII sunt, transtulit a): Successu tamen temporis tanta incrementa sumfit, ut in Religionem abierit. Sic Lampfacæ Græcos unquam tantum initio statuam, postea vero altaria sacrasse, perinde ac Arcades primum Arcadem suum in Stellam, deinde vero Aristæum in Jovem mutatum credidisse legimus b). Gravem hac de re querelam lege apud *Lohensteinium* c).

§. VII. Licet autem omnes consecrationis ritus Heroinis cum Heroibus fere communes erant: Illud tamen discriminis inter Heroum atque Heroinarum consecrationes intercessisse Auctores observant: aquilam Heroes, Pavonem Heroinas ad astra e rogo evexisse. Hinc quanquam *Vaillantius* d) Vir in re nummaria perquam industrius, aquilam tantum pro æternitatis symbolo in Augustarum consecrationes transfusam judicet: Aquilas tamen Pavonum loco nonnullarum consecrationibus adhibitas, cæterum vero pavonem Augustabus ad unam omnibus a consecrantibus datum fuisse ex nummorum testimoniis non immerito suspicatur *Excell. Noster. J. B. Menckenius*. e) Interim cum prolixè satis Julia, Liviæ, Augustæ, Faustinae, Neronis uxoris & filia, Vitelli Matris aliarumque Augustarum consecrationes ex Livio, Floro & cæteris antiquæ Historiæ conditoribus *Spanhemius* f) aliique plures exposuerint; non opus esse arbitramur, ut iis enarrandis longius immoremur.

§. VIII. Major est earum numerus, quas per Dearum nuncupationem, ararum & templorum consecrationem, ac festorum annuorum institutionem, quodam ἀποθεώσεως genere coluit antiquitas. Licet

B

- a) *Exod. XXII. 28.* b) *Dn. a Lohenst. T. I. L. IV. p. 360.* c) *l. c. L. IV. p. 342.* d) *Num. Imp. Rom. Part. II. Edit. Nov. p. 161.* e) *Dissert. de Augustorum Augustarumq; consecratione ex numinis illustrata A. 1594.* f) *de Usu & Prest. Num. passim. conf. & Excell. Menckenius l. c.*

enim non omnes apud veteres Heroïdes, sed solæ Illustrissimæ, Augustæ nimirum a); neque ex his omnes b) solenniores istos & plus quam divinos fere *ἄπο θεώσεως* honores consequerentur? Plurimas tamen Heroïdes pro Deabus cultas fuisse ex antiquis monumentis discimus. Quod enim Dearum nuncupationem concernit Carthago Didonem, Babylonia Semiramidem, Phasis Medæam, Memphis Arsinoen, Sparta Helenam, Athenæ Erigonam, Roma Accam Laurentiam & nostra Germania olim Hertham Deam suam nuncupavit & coluit. c) Non tamen inficiamur, adeo fervidam virtutis & meritorum apud veteres fuisse venerationem, ut licet *ἀνὸς Χειρείας* Dido, adulterii Semiramidis, veneficii & filiorum cædis Medææ, concubitus cum genere & veneficii itidem vitio Arsinoe, aliisque vitiis aliæ d) se se contaminaverant: nihilominus tamen ob animi magnitudinem, urbium ædificationes aliasque res inclyte gestas, & Heroïci animi testimonia divinos iis veteres honores constituerint.

§. IX. Confirmant ulterius divinam hanc Heroïnarum venerationem tot ararum & templorum, quæ iis fiebant, consecrationes. Non repetemus jam ex *Spanhemio* e) *Menckenio* f) aliisque, quæ Augustis consecratæ fuerunt, ararum & templorum Historiam. Heic enim templa memoranda essent, quibus vel *ÆTERNITAS AUG.* vel *ÆTERNITAS AUGUSTÆ CUSTOS*, vel *ÆDIS DEDICATIO* vel ipsum denique inscriptum erat vocabulum *ΣΕΒΑΣΤΗ*. Neque sicco, ut ajunt, pede prætereundæ essent tot aræ *CONSECRATIONIS* lemmate superbientes. g) Quibus adjungendæ etiam essent aræ, quæ a *Seldeno* h) ab Athenis omnibus Europæ, Asiæ, & Diis & Deabus positæ memorantur. Sed solum Fortunæ Muliebris templum & Pudicitæ Plebejæ ara apud Romanos nobis sufficient, unde Heroïnarum cultus per templa & aras susceptus illustretur. Ut enim *Plutarchus* i) Fortunæ Virili ab Anco Martio, Rege Romæ, templum dicatum

a) *Spanh. de G. U. P. N. Diss. VII. p. 606.* b) *l. c.* c) *Ill. Dn. a Lob. Arm. T. I. L. IV. p. 343.* d) *Just. L. XVIII. VI. 7. L. I. II. 1. L. II. VI. 14. L. XVII. I. 4.* e) *loco sæpius laudato Diss. VII. p. 616. sqq.* f) *l. alleg. S. 17.* g) *Spanh. l. c. p. 617.* h) *de Dis Syris p. 64. Proleg.* i) *Lib. de fortitud. Rom.*

narrat: Ita Romanos postea in Veturiæ & Volumniæ honorem Fortu-
næ muliebri templum ædificasse *Livius* a) Auctor est. Cum enim C.
Marcus Coriolanus, Dux Volscorum, exercitum hostium urbi, Romæ,
admoverat, & missi ad eum primum legati, postea Sacerdotes frustra
deprecati essent, ne bellum Patriæ inferret: Veturia, Coriolani mater,
& Volumnia uxor ejus cum ingenti aliarum mulierum agmine castra
fortiter ingressæ sunt. Ubi Heroico plane sermone allocuta Coriola-
num Veturia, *sine*, inquiens, *priusquam complexum* (in quem consterna-
tus Coriolanus prope ut amens ruebat) *accipio, sciam, ad hostem, an ad
filium venerim?* &c. adeo fregit ipsum Coriolanum, ut complexus inde
suos dimittens ipse retro ab urbe castra moveret. Hinc cum non invi-
derent laudes suas mulieribus viri Romani: adeo enim sine obtrecta-
tione gloriæ alienæ ea tempestate vivebatur; Illustri, quod esset He-
roicæ hujus fortitudinis monumento, memoratum supra templum for-
tunæ muliebri ædificatum dedicatumque est. Sic etiam pudicitiae ple-
bejæ ara exstructa erat in foro boario ad ædem rotundam Herculis Q.
Fabio & P. Decio Cosf. a Virginia Auli filia. Hanc enim Patriciam
plebejo nuptam sacris arcuerant cæteræ Romanorum Matronæ, quod
e patribus enupserat. Quum igitur Virginia inter arduas Matronarum
altercationes se & Patriciam & Pudicam in Patriciæ Pudicitiae templum
ingressam & uni nuptam, ad quem virgo deducta sit; nec se viri hono-
rumve ejus ac rerum gestarum pœnitere Heroico sermone gloriata fuis-
set: in Vico Longo ubi habitabat ex parte ædium quod satis esset loci
modico sacello exclusit: aramque ibi posuit & convocatis plebejis
Matronis conquesta injuriam Patriciarum, *hanc ego aram*, inquit, *Pu-
dicitiae plebejæ dedico: Vosq; hortor, ut quod certamen virtutis viros in
hac civitate tenet hoc pudicitiae inter Matronas sit detisq; operam, ut hac
ara, quam illa, si quid potest sanctius & a castioribus coli dicatur.* Unde
eodem fermè ritu & hanc aram quo illa antiquior cultam, nullique ni-
si spectatæ pudicitiae Matronæ & quæ uni viro nupta fuisset jus sacrifi-
candi concessam *Livius* b) testatur.

§. X. Superfunt circa *ἡρώων*, quæ pene obliti eramus, Festa
anniversaria, quorum plurima in Heroinarum illustriorum cultum an-

B 2

ti-

a) L. II. c. 40. p. 180. sqq. edit. Amstelod. b) L. X. c. 23. p. 871.

tiquitus instituta historiarum monumenta loquuntur. Quod si enim & de his superstiosa antiquitatis monumenta consulamus, amplum certe differendi campum *Jonstonius* nobis aperit. Hic enim Doctor in suo de Festis Hebræorum & Græcorum Schediasmate a) XX. Festa enumerat, quæ ceu solenniora, præter innumera ista Junonis, Minervæ, Cereris, Dianæ, Proserpinæ & Veneris, Heroinarum venerationi sacravit antiquitas. Licet vero de uno alterove Festo Heroinarum Festis a *Jonstonio* adnumerato dubitemus: Non dubitamus tamen ex *Hesychii*, *Porphyrri*, *Plutarchi* aliorumq; Auctoritate in eorum censuræ Ἀγρεύλια, Ἀγρεύια, Μῦσεια, Νύμφεια, Νιμέσεια, Ἀριάδνεια, Ελένια, Ὑβρίστικα cum *Jonstonio* referre. Nec tacenda hoc loco sunt Festa Amazonum, quæ *Plutarchus* in *Thesco* b) Amazonibus ab Athenis celebrari solita refert. Unde sunt, qui non immerito pro Numinibus habitas fuisse in urbibus suis Amazonas existimant, illudque variorum numismatum, in quibus nudæ, Deorum ritu, Amazones spectantur, inductione probare nituntur. Id enim proprium Deorum esse sciscunt, ut nudæ eorum effigies ponantur. c) Quare præter illa apud *Plutarchum* novi adhuc Festi apud *Petitum* d) mentio fit, quod quidem in Dianæ ac Martis honorem ab ipsis Amazonibus celebratum & πουργπόλιον, ob solitam fortè Dianæ potissimum ibi tauri immolationem, dictum *Hesychius* & *Diodorus* e) Auctores sunt: cum vero Amazonum gloriam cum Dianæ religione & cultu conjunctam, semper fuisse *Eustatbius* f) convincat; non immerito sub Dianæ nomine & imagine in ipsarum Amazonum, vivis creptarum, venerationem institutum a *Petito* g) judicatur.

§. XI. Non minoris superstitionis arguenda est, quæ in Papatu dudum radices egit, impia fane pietate insignium Heroinarum suarum ἀποθέωσις, seu, ut cum ipsis Pontificiis loquamur, Canonizatio. Solennes enim, quos in memoratam modo Papatus Canonizationem invexit, inanis animorum hariolatio, ritus aniles Gentilium superstitiones non minus ac hircum stabula redolent. Inter cæteras, quæ Pontifices

a) *Tit. II. C. VI. p. 109.* b) *p. 13. B. Edit. Francof.* c) *P. Petit. de Amazonibus p. 240.* d) *p. 246.* e) *ap. Petitum p. 244.* f) *In Commentariis ad Dionysii ὠρίνησιν,* g) *p. 245. seqq.*

fices ob Heroicam, quam putant, animi sanctimoniam in album Sancto-
 rum retulerunt, Heroinas post S. Hildegardin, S. Margaretham, S. Hilde-
 gundin, S. Elisabetham, S. Annam, S. Angelã S. Mechtildin, & quis omnes
 enarraret? S. Brigitta, S. Clara & S. Catharina Senensis eminent, quas
 incredibili animi fastu, velut non degeneres Evæ, matris omnium,
 a) soboles, divinitatem & omniscientiam affectasse, Historiæ Ecclesia-
 sticæ Scriptores ad unum omnes affirmant. Prægnans inter reliqua,
 quorum intuitu & admiratione Canonizatione digna judicata S. Brigit-
 ta, argumentum divinæ fuerunt, quas jactabat, visiones & revelationes;
 utpote quarum instinctu Gregorium IX. Papam, insignem sui æstima-
 torem, ut Curia Papalis, quia Dominus vellet, Romam reduceretur, ad-
 hortabatur: prout illud ex Jo. Gersonis Libro de Examine Doctrinarum
 enarrat Frid. Spanhemius F. b) Nec minori animi fastu divinitatis
 avida fuit S. Catharina, Senis Ao. 1347. nata, quam ceu Elisabethæ,
 Hildegardis, Hildegundis & S. Claræ, ac similibus æmulam, Dominici
 ingressam ordinem, tribus sibi imprimis virtutibus Canonizationem a
 Pio IV. promeruisse Pontificii gloriantur c). Et 1) quidem ex carnificatio-
 ne corporis per inediam, aquæ potum, silentium, vigiliis, ac cruentam
 disciplinam, quam catena ferrea sibimet quotidie inferebat, suscepta:
 2) jactatis ab infantia revelationibus & apparitionibus Christi, Vir-
 ginis, Mariæ Magdalenæ, Apostolorum &c. ac familiari cum Deo con-
 suetudine: 3.) Institutione ordinis ad S. Claræ imitationem, sed
 juxta Dominici institutum. Cæterum inconcussa stet huic Catharinæ
 Senensi eruditionis gloria, qua non divorum catalogo, sed æternæ me-
 moriæ nomen ejus inscribi d) meretur.

B 3

§. XII.

a) Acol. de Aqv. Zelot. p. 8. Proœm. b) Introd. ad Hist. S. N. T. p. 433. Visiones
 seu Prophetiæ Brigittæ Romæ 1556. in fol. excusa allegantur in Cata-
 logo Bibliothecæ Thuancæ per Quesnelium edito P. I. p. 112. & vitam
 ejus breviter delineatam sistit Th. Bartholini in Actis Medicis Hafni-
 ensibus, Vol. II. n. XXIII. p. 55. seqq. c) Spanh. F. l. c. p. 471. d)
 Dialogos scripsit S. Catharina Sen. sex tractatibus comprehensos, e-
 ditosq; Ingolstadii 1583. & Colonia 1601. A. 1691. excusa est Colonia
 in 12. La Theologie de l'Amour ou la vie & les oeuvres de Sainte
 Catherine de Genes; chez Jean de la Pierre. Extat quoq; Epistolarum
 ejus volumen Venet. 1506. teste Miræo in Auctario de Script. Eccl. p. 26

§. XII. Recensuimus igitur ex antiquis & recentioribus nonnunquam monumentis, qui illicitorum nomine ob inveciam in iis superstitionem nuncupari merentur, Heroinarum Sago non minus quam Toga illustrium honores. Unde nunc ad enarrationem cultus accingimur, cuius necessitatem & a superstitione immunitatem naturæ & Gentium consensus comprobatur. Princeps vero Heroinarum, ut arbitramur, honos est, numismatum cum earum imaginibus & magnificis symbolis aut encomiis ex publica auctoritate facta, ut cum *Ezech. Spanhemio* loquamur, percussio. Cætera enim monumenta, præclara quidem illa & diuturna, temporis & materiæ injuria aut posterorum etiam incuria, facile oblitterantur & evanescent; *Et tamen illis omnibus*, inquit *Tertullianus* in Apologetico, *Statuas defunditis & imagines inscribitis & Titulos inciditis IN ÆTERNITATEM*. Suam vero nummis prærogativam ac dignitatem vel sola eorundem duratio & a Regibus atque Principibus æstimatio maxime vindicat. Respexit ad eam nummorum æternitatem *Suada Romana* a) *Nummos immortalitatis studium & cura invenit, sicut sepulchrorum monumenta & elogia*, edisserens. Hinc non seipsum tantum, sed & Uxores suas, Matres, Avias, Sorores, Filias, Neptes æris æternitati sacratas volebant Augusti seu Cæsares. Pertinent huc nummi in honorem Augustæ Juliæ, Antoniæ Juliæ Drusillæ, Agrippinæ utriusque, Octaviæ, Poppæ, Domitillæ, Domitiæ, Longinæ, Faustinarum, Lucillæ, Titianæ, Juliæ Domnæ Sallustianæ, Paulinæ, Juliæ Proclæ, Flaviæ Honorianæ, aliarumque percussi, qui delineati vel descripti apud *Ez. Spanhemium* b) videri poterunt.

§. XIII. Nec tacenda hoc loco sunt numismata, quæ in Augustarum, Elisabethæ v. g. in Anglia, Mariæ in Ungaria, Christianæ in Suecia Reginae, aliarumque sequiorum seculorum & nostræ ætatis Heroïdum Illustriorum coronationibus, solennitatibus nuptialibus, sepulturis, aliisque occasionibus fabricata novimus. Adeat, cui felicitas ista obtingit, locupletissimas Regum & Principum gazas, aut Curiosiorum, si quæ ipsi aperiuntur, cimeliarchia & cum iis tantarum Heroïdum virtutes admiretur, veneretur. Nos interim limitum angustiis moniti unum vel alterum tantum nummum enarrabimus, quorum raritatem,

non

a) *Tuscul. I.* b) *l. c. p. 602. - 639.*

non uno argumento, non focors rei nummariaë scrutator, *Petitus* nobis commendavit. Inprimis multis antiquitatis pariter ac raritatis argumentis illi sese commendant nummi, qui Amazonas habitu virili ornatas exhibent. Siftit tales delineatos ex percelebris in re nummaria viri *Patini* Thesauro & ex reconditis *Goltzii* ectypis *Petitus*, Cap. XXI. a) eosque a Thyatirenis & Smyrnæis consensu percussos ex inscriptionibus eorundem comprobat: & in aliis etiam nummis Amazonas cultu virili, ut in isto Caracallæ, quem Regia Gaza Parisiensis asservat, videri testatur. b) Neque desunt, in quibus Amazones veste ad talos demissa & plane muliebri amictæ spectantur: Unde talis iconis nummum ex *Iristano* Noster c) delineavit. Porro alia prostant numismata, in quibus Amazones expressæ cum hastis & bipennibus apud *Patinum*, *Seguinum*, *Caninium* d) exhibentur. Uti enim Amazonas primas omnium ausas equum conscendere atque hostes alienis pedibus insequi aut fugere Orator *Lysias* e) testatur: Ita a Penthesilea, Amazonum Regina, securim fuisse inventam refert *Plinius* f) & *Horatius* g). *Lipsius* h) peltæ seu scuti Amazonum figuram exhibet ex veteri marmore: & ejus locum illustrat nummus a Smyrnæis in Juliaë Mœsæ gratiam fabricatus, in quo Amazon stat capite turrato, læva peltam & bipennem, dextra vero templi imaginem sustinens i). Ac dum hæc sub prelo sudant, ostenditur nobis forte rarissima gemmæ annulariæ effigies, quæ Orithyiam, capite galeato, & sparsis super humeros capillis sistit cum hac literaturæ perveris inscriptione: AMAZON OPIΘTIA: Quam vel ideo nummis miscere placuit, quia gemmæ tales pari cum nummis fato ex terris effossæ eodem etiam cum nummis pretio habentur. Reliqua numismata Amazonia, ex quibus Smyrnam, Thyatiram, Myrinam, Comam, Amisum, Amestrem, Synopen, Magnesium &c. urbes ab Amazonibus conditas, *Petitus* k) arguit, apud eundem videantur. Ex Togatarum Heroidum nummis, quos plures dari fatemur, unicum tantum in celeberrimæ

Do-

a) *de Amazonibus* p. 132. sqq. b) p. 134. l. c. c) *Petit. l. c. p. 136.*
d) *v. eundem Petit. l. c. p. 159. 162.* e) in funebri oratione εἰς τῆς τῶν Κορυθίων Βοηθῆς. f) *L. VII. c. 56.* g) *L. IV. Od. 4.* h) *in Analectis ad militiam Romanam,* i) *Pet. l. c. p. 187.* k) *cujus apud Just. L. II, C. IV. mentio fit.*

Doctrinis Philosophicæ, PISCOPIÆ, Jo. Baptistæ Cornelii, Divi Marci apud Venetos Procuratoris, filix honorem eusum a) addimus, qui exhibetur in *Diario Eruditorum Parmensi Italico* 1687. Repræsentat iste ex una parte Piscopiæ faciem & circum eam hæc verba: *Hel. Luc. Cornelia Piscop. Fil. Jo. Ba. D. M. P. Sep. Lin. orn. Laurea Philosoph. donata Patavii A. S. 1678.* In altera concham perlarum, quæ aperto ore rorem excipit cœlitus decidentem addita epigraphe: *Non sine Fœnore:* infra vero nummi faciem hæc leguntur: *Patav. Phil. Colleg. Decreto.*

§. XIV. Post numismata ad statuas & columnas convertimur, quarum exstructio magnus omni ætate honos fuit & insigne virtutis documentum. Præclare hac de re *Eusebius* b) *hominibus ad solatium mortis & eternitatis contemplationem quæsitæ imagines, statuas ac monumenta id genus alia* effatur. Equidem haud raro communi velut omnium rerum fato spuriis, ut ita loqui liceat, Heroinis statuas positas orbis vidit sat magnificas. Ita quippe Phrynæ salaci simulacrum Græcos, & Floræ lascivæ in Castoris Sanctuario simulacrum Cæcilium Metellum, erexisse; Balestix, mancipio isti famoso & formoso Alexandrinos monumentum in templo posuisse; & Glyceram sordidam Tharsi per columnam æneam coli Alexandrum jussisse Scriptores c) tradunt. Major tamen omni ævo statuarum fuit veneratio, quibus Heroinarum animi magnitudine & fortitudine aut eruditione etiam clararum fama ad posteros transiit. Pertinent in hunc censum vicenæ istæ statuæ, quas in memoriam XX. Romanarum & totidem Græcanicarum feminarum nominibus singularum adscriptis, eo ipso, ubi disputatum fuerat, loco, Senatus Rhodi, extrui jusserat. Adeo enim illæ in Curia Rhodiorum docendo & disputando publice victoriæ palmam in eruditionis gloria sibi invicem dubiam reddiderant, ut hanc super isto certamine Rhodii d) sententiam ferrent: *Vicenæ illas feminas lauro omnes tanquam victrices coronandas, & Græcas gravitatis in sententiis, Romanas eloquentiæ in verbis laudem obtinere:* Sic postquam Patres C. Mucio virtutis causa

a) v. Cl. Junck. *Cent. Fem. Erud.* p. 115. b) *de Vit. Constant.* L. 1. c. 2. c) *Ill. Dn. a Lobenst. Arm. T. I. p. 340. Arnobius L. VI. adversus Gentes. Lactant. L. I. c. XX.* d) *Guev. Hor. Princ. L. II. C. XXXII. p. 358.*

causa trans Tiberim agrum dono dederant, qui postea pratum Mucium appellatus est: *honorata virtute feminas quoque ad publica decora excitatas fuisse Livius a) scribit.* Ita enim Clœlia, virgo apud Romanos non incelebris, una ex obsidibus, quum castra Etruscorum fortè, haud procul ripa Tiberis, locata essent, frustrata custodes, dux agminis virginum inter tela hostium Tiberim tranavit, sospitesque omnes ad propinquos restituit. Unde pace redintegrata Romani novam in femina virtutem novo genere honoris, statua equestri, donavere & in summa Sacra Via posita fuit virgo equo insidens b). Regia vero, si parvis magna licet componere, statua fuit, quæ inter *Emmanuelis Thesauri, Comitæ & Majorum Insignium Equitis, Inscriptiones c) reperitur sequens Christianæ Alexandræ, Succorum Reginae, Augustam Taurinorum XVII Kal. Nov. A. M DC LVI. ingredientis elogium, in magnifico arcu triumphali, cujus fastigio geniali ex rogo rediviva Phoenix, aureo redimita diademate, aureoque circa eollum radiata torqui insidebat, explicans: Phœnicem visere quisq; auet, huc eat: Hanc molli in Arabia nidulari: Fabula est: In Suecia nascitur: Regnante Claudio Romæ visam ne credas: Alexandro Septimo Auspicante: Romam primum adventavit: Unam esse tandem qui putat: male computat: Regnantum, Sapientum, Bellatorum: Viraginum Phœnix: Quadruplex & unica est Phœnix: CHRISTIANA ALEXANDRA: MAGNI GUSTAVI FILIA. Ut reliquas Zarinae, Lampfacæ, Medæ, aliarumque statuas taceamus.*

§. XV. Non minus propitio fere fato seculorum vim & oblivionem temporum elusisse videntur, mole & pompa nonnunquam majores istæ statuæ, qui mausolæorum aut monumentorum nomine veniunt Auctoribus. Transeant jam, quia majoris mole operis labor est, Ægyptiorum apud *Kircherum d) Pyramides & Obelisci, ab Artemisia inventa Mausolæa, Castra doloris, & alia nostri ævi Monumenta magna: Sola Amazonum sepulcra raritate sua & in illustrando argumento nostro utilitate nos alliciunt, ut iis paulo diutius immoremur. De his enim superbum inprimis & memorabile occurrit, quod non-*

C 2

a) L. II. c. 13. b) Liv. loc. modo cit. c) p. 95. d) T. II. Oedip. Ægypt. P. II. Class. 7. cap. 3. f. 109. mar.

marmorum quodam fastu & picturæ magnificentia, sed æternis *Homeri* versibus a) Myrinæ, Amazoni, adornatum vidimus:

Ἔστι δὲ τις περὶ Ἄργεος πόλιος αἰπεία κολῶνη,
Ἐν πεδίῳ αἰπύνουθε, πείδρου μὲν ἔνθα καὶ ἔνθα
τὴν ἦτοι ἄνδρες βατίειαν κικλήσκουσιν,
Ἄθλισταί τε σῆμα πολυσκάρθμοιο Μυρίνης,
Ἐνθα τότε Τρῶες τε δῖε κέρθη ἠδ' ἐπίκρησι.

Solennis nimirum apud veteres consuetudo erat, ut homines meritis illustres, aut genere nobiles sub montibus sepelirentur. Cui mori obsequentes Amazones Myrinæ suæ, præstanti Bellatrici, sepulcrum sub colle excelso posuisse apud Homerum dicuntur. Sic ipsa Myrina apud *Diodorum* b) cæsas quondam in prælio Amazonas tribus magnis aggeribus sepeliisse, memoratur; qui Diodori adhuc ætate Amazonum tumuli appellati sunt. Sic Hercules Pholum sub monte etiam post obitum condidit. *Queres*, inquit *Diodorus* c) *ei gloriosior omni columna accidit.* Ab ipso enim mons absque ullo alio Epigrammate Pholos cognominatus fuit. Sic & Semiramidem tumulos sepeliendis Amasiis suis exaggerasse ex Ctesio refert Georgius Syncellus. Porro de Amazonum in Libya tumulis nummi testantur, quos ex *Seguino*, *Patino* aliisque in Libyæ urbibus *Petitus* d) commemorat. Et in Attica non pauca Amazonum monumenta reperta fuisse *Plutarchus* nobis Auctor est, qui in Theseo locum refert Athenis fuisse dictum Ἀμαζόνειον ab Amazonibus ibi eo sepultis tempore, quo armis in Atticam irruerunt. Megarenses eodem *Plutarcho* Autore Amazonum in suis etiam terris sepulcra ostendebant. Alias præterea idem circa Charoneam sepultas tradit juxta rivulum quendam olim Thermodontem postea Hæmonem nuncupatum. Novum tandem nobis Amazonum monumentum juxta urbem Scotysæam in ea Thessaliæ parte sitam, quæ Pelasgia dicebatur, apud *Plutarchum* itidem indicatur. Hisigitur Amazonum, quæ apud veteres Auctores reperiuntur sepulcris admiranda earum virtus & animi magnitudo honosque iis habitus satis superque declaratur.

§. XVI.

a) *Iliad.* β. b) *L. IV.* c) *L. V. c. 2.* d) *l. c. p. 258.*

§. XVI. Statuis atque sepulcris indivulso veluti nexu cohærent Epitaphia aliaque in Heroinarum laudes concinnata Epigrammata & Elogia. His enim Heroïdum Togatarum, ut vocant, in primis seu eruditione Illustrium monumentis splendor accedit non exiguus. Non ignobile hujus generis Epitaphium est, quod Guevara a) in Aretæ Aristippi celeberrimi apud Athenienses Philosophi, filiae literis græcis juxta atque latinis ita eruditæ, ut tota Græcia animam Socratis in illam migrasse fama esset, honorem ab Atheniensibus statutum memorat:

*Nobilis hic Arete dormit, Lux Hellados, ore
Tyndaris; at tibi par, Icarïoti, fide:
Patris Aristippicalamumque animamq; dederunt
Socratis huiclingvam Mæonidæq; Dii.*

Aliud in eandem Epitaphium Italico idiomate exaratum Clarissimus Junckerus b) nobis exhibet: *Qui giace la grande Areta Greca, Splendor di tutta Grecia, qual hebbe la bellezza d' Helena, l' honestà di Tirma, la penna d' Aristippo, l' anima di Socrate e la lingua d' Homero.* Mariæ Garfiæ de Gournay, Virgini Gallæ & insigniter doctæ, à Rolando Maresio c) ἀνοδιδάκτῃ appellatæ, sequens positum fuit Epitaphium: *Mariæ Jarsia: Cognomine Gornacensi: Nulli viro notæ: Nulli Docto ignotæ: Quam corpore sterili: Tam ingenio sæcundæ: Nec mortalium liberorum: Sed librorum semper victurorum parenti: Hadrianus Valesius.* Cornelia Adrichomia Carminibus mysticis ac varia oratione & Poematibus variis illustris virgo Batava d) hoc sibi ipsi fecit Epitaphium:

*Corpus humo, superis animam Cornelia condo:
Pulverulenta caro vermibus esca datur.*

Schurmannia versatissima in Lingua Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Arabica, Turc. Græca, Latina, Gallic. Anglica, Italica, Hispan. German. Belgica

C 3

a) Hor. Princ. L. II. C. 33. p. 361. b) e Colomesii Observ. sacr. p. 89. c) Epist. XXIII. L. I. p. 100. aliis 103. c. Junck. l. c. p. 100. qui e Quesnelio in Catal. Bibl. Thuan. P. II. p. 406. citat: *Le Promenoir de Mr. de Montagne, par sa fille d' alliance la Demoiselle de Gournay, avec queques poesies d' elle meme, a Paris. 12.* c) loc. modo cit. §. 50. x)

gica ut Lud. Jac. a S. Carolo a) testatur, iconi suæ, quam ipsa pinxit, hoc subscripsit Distichon, omni Epitaphio memorabilius:

Cernitis hic picta nostros in imagine vultus;

Quam negat ars formam gratia vestra dabit.

Talia Schurmannæ aliarumque apud *Thomasium* b) *Junckerum* c) & Dn. *Kortholtum Prof. Kilon.* recentissima de Puellis Poëtriis opella d) monumenta, perinde ac illa *Horatii* e) ære perenniora regalique situ Pyramidum altiora sunt; licet magnificentiora sint, quæ *Elisabethæ Reginae Angliæ* f) *Christinæ Reginae Sveciæ* g) *Aloysiæ, Adelaidæ, Margarithæ Emmanuelis Philiperti uxori*, aliisque *Sago & Toga* simul illustribus Heroinis h) posita leguntur.

§. XVII. Descendimus tandem ad duas peculiare cultus Heroi-
dum species, quarum alteram solæ Togatæ, alteram vero Sagatæ solæ sibi merito vindicant. Etenim in Togatarum Catalogis quædam inveniuntur, quæ brabeum Poeticum, aut Gradum Doctorem sive in Philosophicis sive in Juridicis, sive etiam Theologicis impetrasse memorantur. Sic Virgo Gallica de Houliere, quæ cum matre inter præstantissimas recensetur Galliæ Poëtrias, brabeum Poeticum ab Academia Gallica die S. Ludovici A. 1687. deportavit i). De Beltizia Gozadina, Virgine genere & eruditione nobili, *Hilarion de Costa* k) refert, ei Jctos in Academia Bononiensi non Doctoris tantum titulum & privilegia, sed & Professoriam Dignitatem contulisse. Neque Doctoris Theologiæ gradum feminis conferre abnuunt Pontificii. Extat enim apud eundem *Hilarionem* l) Exemplum *Isabellæ Losæ* relatum etiam a

Jo.

- a) ap. eundem Thom. 48. n). b) *Diss. sæpius laudata* c) *Cent. Fem. passim.* d) ante paucos menses Kilonii edita & *Adriano Bailleto*, celeberrimo Galliæ Polyhistori & *Scriptori* libri opposita, cujus titulus: *Des Enfans devenus celebres, par leurs etuder ou par leurs écrits*: e) *Carm. L. III. Od. XXX.* f) v. *Theod. Jansonius ab Almeloveen Amœnit. Theol. Philol. & Bohun e Soc. Regia libelló: Le Caractere de la Reine Elizabet, Hage Com. 94. in Act. Erud. Lips. 1694. p. 340* g) v. *Junck. l. c. p. 91.* h) v. *Emman. Thesauri Inscript. p. 170. sq. i) v. Junck. p. 48.* k) *T. I. P. 3. de eologiis Regum p. 522.* l) *l. c. p. 728.*

Jo. Limnao a): *Isabella Losa Corduensis inter Hispanos pergnara femina lingua latina, graeca atq; Hebraica, cum ad Doctoris gradum in Theologia evecta fuisset, post mortem mariti facta est monialis Ordinis seu Clara. In Philosophicis Lauream, ut vocant, Doctoralem quinque praeter maternam, linguarum peritam virginem Piscopiam a Collegio Philosophico Academiae Pataviensis d. 25. Jun. A. 1678. impetrasse ex nummo patet, quem ejusdem Collegii decreto in honorem Piscopiae cusum supra memoravimus. Et licet quidem fuerint, qui eandem, quum studiis sacris magna pariter cum diligentia nec minore cum successu incubuisset, supremis in Theologia etiam honoribus dignam judicarunt: b) Piscopiam tamen, Episcopo Paduano Cardinale Barbarigo desideriiis ejus adversante, honorum istorum, quos ipsa ambibat, Theologicorum repulsam tulisse *Magnif. Dn. D. Mayerus* c) nos edocuit. Cujus rei exemplo idem *Vir Gravissimus* suffultus Leg. 2. ff. de Reg. Juris (cum qua conferri possunt L. 12. §. pen. ff. de judiciis. L. 1. ff. ad SCtum Vellejanum) feminas gradu Doctoris Theologiae, si quam habent ejus scientiam intimiorem, dignas quidem judicandas, & Doctoribus nonnunquam doctiores esse asserit; eodem tamen solenniter ornandas inficiatur.*

§. XIIX. Alteram honoris Heroici speciem, quam solas Heroinas Sagatas sibi vindicare diximus, Equestres inter ipsas Ordines constituunt. Magna & praecipua ferè haectenus Ordines Equestres Heroum ornamenta fuerunt atque decora. Eadem tamen Heroinarum etiam honorem augere & illustrare coeperunt. Memorantur tales ordines IV. numero: Quorum primum constituunt Heroinae ab Ascia die *Damen von der Nxt* cognominatae. Harum enim ordinem Equestrem Raymondus Berengarius, ultimus Comitum de Barcelona, per nuptias cum Petronella Regis Ramiri filia initas, Regni Arragoniae haeres factus Tortosa a Maurorum obsidione feminarum fortitudine liberata, instituisse fertur. Alterius ordinis Succinctarum Heroinarum, *der Orden der gegürteten Damen*/dicti fundamenta posuit Anna Ducissa de Bretagne Caroli VIII. Regis Galliae uxor. Nulla Feminarum Illustrum in ordinem hunc adoptabatur, nisi vitae & morum sanctimonia stirpisque suae

nobi-

a) *Addition. ad Lib. VIII. Jur. Publ. p. 345. b) v. Junck. l.c. c) Diff. de Doctoratu Theologico, 1699.*

94 77 298
nobilis antiquitate cognita: Qua' de causa etiam Franciscanorum ritu corpus laqueo constringere tenebantur. Tertii Ordinis Mancipiorum Virtutis, *der Orden der Tugend Selavinnen* cognominati, Eleonora Imperatrix Romana, Ferdinandi III. Imperatoris Conjux, Dux & Autor fuit. Signum ordinis sol erat aureus & laurea cinctus hanc tenens Epigraphen: SOLA UBIQUE TRIUMPHAT: illudque aureo torqui appensum in sinistro gerebant brachio; Se totas caeterum virtutum studio atque affectuum imprimis moderationi dicantes. Eidem Imperatrici natales suos debet Ordo Heroinarum Cruciferarum, *der Orden der Kreuzträgerinnen* A. 1668. post deflagrationem Castelli Novi institutus. Quum enim in isto incendio Crux aurea, cui frustulum crucis S. inclusum, illaesa servata fuerat: in memoriam hujus, ut tradunt, miraculi memoratam Imperatricem Eleonoram Equestrem ex Feminis illustrioribus Ordinem constituit, hac inter reliquas lege, ut suspensam ferrent in sinistra mamma, nigrae adstrictam ligaturae, crucem quadrangularem, in cuius angulis quatuor stellae relucet. Mediam crucem duae fulvei coloris lineae, in crucis figuram ductae, distinguunt quatuor circumcirca aquilis adjunctis. Totum vero signum verba circumeunt: SALUS & GLORIA. Quanquam vero ultimus hic ordo ad cultum Heroinarum proprie non pertineat: tres priores tamen indubia & praecleara virtutis Heroicae documenta esse nullus inficiabitur.

§. XIX. Animus erat, cultum Heroicum ex earundem in consortia Doctorum admissione Piscopiae in Societates literarias *Intronatorum* Sienis, *Recuperatorum* Patavii, *Infocundorum* Romae, *Dodonaeorum* & *Pacificorum* Venetiis, Scuderiae in Academiam *Recuperatorum* Patavinam receptae, Julianae Morellae, Capuccinorum habitu indutae, in cathedra Philosophica publice *disputantis*, Gabrielis Carolis Patinae in honorem Ludovici XIV. Patavii Panegyricum publice *dicentis* & Sororis suae Carolae Catharinae Patinae *orationem Panegyricam* de liberata A. 1683. Vienna Invictissimo LEOPOLDO dicatam *recitantis* & quae plura apud Autores dantur, exemplis illustrare, aliaque id genus addere. Sed cum praeter spem differendi materia nobis accreverit, temporis atque limitum, quos

destinavimus, angustiis circumscripti heic abrumpere atque praestitum nobis

Summi Numinis auxilium humillima animi gratitudine venerari jubemur.

82

ILL
DN. C
REGIN
A
ET CÆTER
AC INCO
SUSCEPTRI
P
AR
VAL

NAE
TIAE
NDÆ,
TO
SSIMÆ

